ſuauiſſimo ordine impauit rogante
hartmoto et efficiente Lutwardo epiſcopo
atque archicancellario imperatoris quandam
abbaciolam in ytalia ſitam olearum et romearum
feracem quam tunc idem Lutwardus in beneficio habebat
cui nomen eſt Maſſim ad monaſterium ſancti galli
imperatoria auctoritate condidit. Eo quoque
pacto ut idem Lutwardus tempore vite ſue ſub
vſu fructuario ipſas res poſſideret. cenſum-
que de ipſo loco ſicut ipſe condixit ſingulis annis
ad monaſterium predictum perſolueret hoc eſt lvi.
languenas de oleo vel lx ſolidos de argento.
Poſt obitum vero Lutwardi ipſe res ſine vllius
contradictione perpetualiter ad ius pertineret mo-
naſterii Cuius rei cauſa carta perinus
firmiſſime ſua auctoritate eſt ſcripta
atque firmata atque ipſo imperatore iubente
ſuper altarium ſancti galli eſt poſita vbi hodie
deo volente cum pace tenetur. Igitur venerabilis
abbas hartmotus poſt tantorum ut ſupra
commemorauimus perfectione laborum cupiens
eciam fine ſue clariſſime adminiſtracionis
aſpicere propriis oculis Iam quoque etate requiem
poſcente cepit ſedulo ab imperatore de-
poſcere et cum fratribus querere quatinus ipſe
ab hiis laboribus liberaretur. et alius in eius
locum ſubrogaretur cuius etas et valitudo
apta exiſteret ad ſupportandos varios
caſus qui nunc eciam prioribus ampliores variantur
in mundo. Cuius rei conſenſum neque apud im-
peratorem neque apud monachos facile potuit
inuenire. Sed cum ille diutiſſime et omnimodo
in hac perſiſteret peticione etatis ſue ſepius
cauſando grauedinem tandem difficillime
acquiſita iſtius peticionis ab imperatore ſuſcepit
permiſſionem. Proinde letus cepit adhuc ipſa
negocia congruens inquirere tempus. Aliquanto
vero temporum tranſeunte circulo contigit dominum
imperatorem de Italia redeuntem nouum
intrare monaſterium. vbi cum maxima laudum
honorificencia cunctorumque non parua leticia
fuiſſet ſuſceptus ipſe eciam letus triduo
ibidem permanſit. Tunc vero venerabilis
abbas hartmotus opportunum tempus ſue
voluntati occurrere credens imperatoris clem-
enciam ut ſue permiſſionis memor exiſteret
ſtudioſiſſime cepit flagitare. Poſtquam
vero princeps nullius preterite immemor vel
dictionis vel permiſſionis volens et abbatis
peticioni annuere et monachis in omnibus
ſatiſfacere illorum conceſſit arbitrio ut quem
vellent de ſuis abbatem ſibi eligerent.
hartmoto videlicet ſucceſſorem. Que res

idem nomen

a fratribus audita maxime triſticie et lacrimarum
pariterque intermixte leticie ſeminarium ex-
iſtebat. Triſticie quia a tanti patris domino ipſo
viuente ſe abſtrahere cordetenus recuſauit.
Leticie vero quia idem clementiſſimus imperator
cum rem futuri neceſſitas exegiſſet non per
ſuos nuncios abſens ſed per ſe ipſum noſtras cauſas
maluit confirmare atque ſtatuere preſens

De bernhardo abbate

cap. II.

Cum igitur ut diximus neceſſitas primo
eciam digniſſima vtilitas rem futuri
exigeret omnes pariter ſenes et iuuenes a
primo vſque ad vltimum domino donante communi
conſilio atque vna voce Bernhardum ſibi elege-
runt abbatem virum nobilitate et iuuentute
preclarum. Cuius ſapiencia et moribus atque benig-
nitate et regia ſeruicia pagi et ſe cum omnibus
ſuis fidiſſime protegi confidebant. Cuius rei
noticia cum ad imperatorem fuiſſet prelata pro-
tinus ipſe conuentui eorum dignatus eſt intereſſe ibique
imprimis hartmotum ut ſepiſſime poſtulauerat
honorabiliter atque cum magna graciarum
actione a pondere tantorum liberum donauit
eſſe laborum. Sed non deſtituit a magiſterio ibidem
degencium. Poſtea vero omnibus Bernhardum ſibi ab-
batem poſcentibus ſtatim in preſenti benigniſſimus
princeps eorum deſiderium audiens Bernhar-
do monaſterium cum congregacione commendauit.
ipſumque abbatem conſtituit. Qui inter alia
plurima conſolatoria verba hoc eciam intulit
permittendo ſe nunquam hanc ſecuritatem nobis
ablaturum. Immo ſi inter noſtros valeat in-
ueniri qui ad hoc officium idoneus poſſit exiſtere.
Quibus vero racionabiliter conſtitutis dominus im-
perator omnes ibidem conuerſantes letos effi-
ciens ipſe quoque letus de monaſterio abſceſſit.
Contigit autem iſta ordinacio circa finem
anni ab incarnacione domini dccc lxxxiii. vi
feria viii. Idus decembris. Indictione prima.
Anno vero Karoli imperatoris tercio, Super omnia
vero regnante domino noſtro ihesu chriſto Cui
eſt honor et gloria per infinita ſecula Amen